

Universitätsbibliothek Wuppertal

L. Annaei Senecae Tragoediae

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Amstelodami, 1662

Actus quintus

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-770](#)

ACTUS QUINTUS.

NUNCIUS. CHORUS. NUTRIX.
MEDEA. JASON.

*Narrat nuntius Creïsam cum patre reziaque tota flagrassè pernicioſe
Medea munere, Medea filios suos trucidat & aufugit.*

Nunc. Perière cuncta. concidit regni status.
Gnata atque genitor cinere permisto ja-
cent. 880

Chor. Qua fraude capti? Nutr. qua solent reges capi;
Donis. Chor. In illis esse quis potuit dolus?

Nunc. Et ipse miror; vixque jam factò malo
Potuisse fieri credo. Chor. Quis cladis modus?

Nunc. Avidus per omnem regiæ partem furit, 885

Ut jussus, ignis: jam domus tota occidit;

Urbit timetur. Chor. Unda flamas opprimat.

Nunc. Et hoc in ista clade mirandum accidit,
Alit unda flamas, quoque prohibetur magis,

Magis ardet ignis. ipsa præsidia occupat. 890

Nutr. Effer citatum sede Pelopea gradum,

Medea. præceps quas libet terras pete.

Med. Ego' ut recedam? si profugissim prius,
Ad hoc redirem. nuptias speço novas.

Quid,

881. Reges] Δωρεφάγοι & δα-
ρβονογοι, quandoque δε φλεγόντες: ut
pisces hamo, quem captantes capiuntur.
Farnabius.

885. Per omnem regiæ partem furit,
Vt jussus, ignis] Nugæ de mandato &
præscripto ex quo ignis furat. Fabri-
cius, Emissus. Deltriani cod. quidam,
Erjusius. Gruteri, Vt missus, quemad-
modum & Vossianus. Lege: furit Im-
missus ignis. Aridus, inquit, & cunctæ
consumens ignis per omnem regiam
furit immensus, id est, quasi immensus
habens, irrevocabilis, refingui & re-
primi neficius. Vide quæ noramus ad
lib. 3, de ira cap. 6. Gronovius.

889. Alit] Augetur ignis super-
iecta aqua φάρμακον αποφλεγόντες
ης θεῖας, incantatum. Supt. v. 820.
Farnabius.

890. Magis ardet] Constatbat hoc
pharmacum sulphure & asphalto hu-
meetiore: vide Cælium lib. 15. cap. 13.
Comitem lib. 6. Mythol. cap. 7. Delt.

891. Sede Pelopeia] Corintho in
faucibus Peloponnesi, Pelopi quon-
dam regnata. Herc. Fur. v. 1164. Farn.

892. Medea.] Μήδεια, φεῦχε,
φεῦχε μῆχε γαῖαν Διπῆτ' απῆναι
μῆντος οὐρανού πεδουσίον. Eurip. Idem.

894. Ad hoc] Ad hoc facinus vel
spectaculum. Idem.

897. Ada

Quid, anime, cessas? sequere felicem impetum. 895
 Pars ultionis ista, quæ gaudes, quæta est?
 Amas adhuc, furiosa, si satis est tibi.
 Cœlebs Iason. quære pœnarum genus.
 Haud usitatum. namque sic temet para.
 Fas omne cedat. abeat expulsus pudor. 900
 Vindicta levis est, quam ferunt puræ manus.
 Incumbe in iras, teque languentem excita,
 Penitusque vèteres pectore ex imo impetus.
 Violentus hauri. quidquid admissum est adhuc,
 Pietas vocetur. hoc age. & faxo, sciant
 Quam levia fuerint, quainque vulgaris nota,
 Quæ commodavi scelera, prolusit dolor.

Per

897. *Adhuc furiosa?* Sic satis est?]
Graecus ex Pal. primo afferit: furiosa
satis: ex reliquis, furiosa, si satis
tibi: adhuc hærente te, utrum praefat:
addeo utrumque causas suas: &
anem judicij lancem inclinare in ant-
quis. At tu, ne quid hæreas, scito in
H. furiosa, si satis est tibi. Non vi-
des, insana, te adhuc amare Iasona,
qui pessime debes odire, si satis ad-
vindictam tuam putras, quod eum co-
libenter didisti. vers. 126. *Gronov.*

898. *Cœlebs?*] Quod Cœlebs uxore
 excidit. *Farnabius.*

901. *Quam ferunt puræ manus?*]
Uter utcumque explicata parvorum
impuerorum manus, ob exitialia mu-
nera illis perlata. Sed quænam parvum
huc sit pro magnitudine rei faenur
ipsi interpres alium sensum com-
menti, leve, non in vindicta modo
graves. Subjecerunt & prave, quos re-
belens Raderus accipie inermes, puel-
lares, delicatas, parvas comparatione
vitorum, qui robustiores feminis: ne-
que aliud hic secerunt latere. Sed
Eritus aruspex adeundus erat: is ele-
gantissime, quæ ferunt puræ manus.
Hoc est, quæ servat modum, neque
punit, nisi quos pius fatigue est punire.
Potest manus sunt eorum, qui aut par-

cunt, aut non occidunt, nisi hostes vel
 supplicium meritos. Menelaus apud
 Euripiden: Αγός γδ εινὶ κέρας. Et admirabilis ille Titus, Pontificatum
 maximum ideo se suscipere professus, ut
 puras servaret manus. Alterum genus
 non minus piaculi immune intelligi-
 tur ex formula veteri apud Livium: Puro pioque duello querendas censeo. Et
 sic haec tenus in Creonte ac Creiffa so-
 puram interpretatur Medea, quia ho-
 stem & pœficiem interficerat. Nunc
 præstat hoc merito, prosecuta ad
 facinus, quod puris manibus peragere
 non poterat. Lucanus lib. 7. *Vulnus*,
parsoptat, pars terrefigere tela. Ac pu-
raservare manus. *Gronovius.*

904. *Violentus hauri.*] Et lex ver-
 fus & Flora vulnus legi: *Violentus hauri.*
 Et referendum est ad animum: *Quid,*
anime, cessas? Nisi malis contraxisse
 duas ultimas syllabas, quod satis du-
 rum. *Idem.*

905. *Pietas?*] Prae his quæ admitten-
 dare restant. *Farnabius.* *Hoc age.*] Ri-
 tualis verbis, attende. *Idem.*

906. *Quæ?*] Quæ prius admisi in
 Iasonis gratiam. Suprad vers. 276. *Id.*
Proclus. Hæc virgo feci. Supr. v. 49.
Hercul. Fur. vers. 221. & inf. v. 908.
 max notan. *Idem.*

Per ista noster. quid manus poterant rudes
Audere magnum? quid puellaris furor?

Medea nunc sum. crevit ingenium malis.

Iuvat, juvat rapuisse fraternum caput.

Artus juvat secuisse. & arcano patrem

Spoliaſſe sacro. juvat in exitium senis

Armaſſe natas. quære materiam, dolor:

Ad omne facinus non rudem dextram afferes.

Quo te igitur, ira, mittis? aut quæ perfido

Intendis hosti tela? nescio quid ferox

Decrevit animus intus, & nondum sibi

Audet fateri. stulta properavi nimis.

Ex pellice utinam liberos hostis meus

Aliquos haberet! quidquid ex illo tuum est,

Creūſa peperit. placuit hoc poenæ genus,

Meritoque placuit. ultimum agnosco scelus.

Anime, parandum est. liberi quondam mei,

Vos pro paternis sceleribus poenas date.

925 Cor

910. *Medea*] *Emphaf.* nunc denum par & sufficiens sum immanibus sceleribus patrandis. *Crevit*] Quum fuerint illa præludia & præexcitationes ad nobile hos scelus. *Farnabius*.

913. *Sacro*.] Vellere aureo, Marti sacrato. *Idem. Seniū*] *Pelia*, *Supra* verſ. 256. *Idem*.

915. Non rudem dextram afferens.] Acrius Florent. afferes. *Gronovius*.

919. *Properavi*] Nec distuli iras, donec mater ex laſone facta suppeditasset ulterioris materiam vindictæ. Sed puta tuos (ò Medea) quoniam Iasonis sunt, etiam Creūſa esse. *Farnabius*.

923. Ultimum magno scelus Animo parandum est.] Iacens prorsus & languidus sensus, si conferatur cum eo, quem præbet non obscure codex Etruscus, qui pro magno habet agnosco. Scribe igitur: ultimum agnosco scelus. Anime, parandum est. Vel, si mavis, retine parandum. nam ille, parandum,

quod verius respuit. *Supra*: Si quod *Pelias*, si quod urbes barbaræ. *Never facinus*, &c. Nunc est parandum. Hoc ipso momento demum constituit de liberis trucidandis. *Agnosco*, est inventi⁹⁹⁹ deprehensione velat, tenentis modum, quo summam vindictam manum per summum scelus imponat. Ut Thyeste: haud quid sit, scio. Sed grande quiddam est. ita sit, hoc, animi, occupa. Nam extimulatio illa animi frequens utroque loco, ut & in Agamemnone: Accingere, animo, bella non levia apparas. Scelus occupandum est. Euripides in hujus nominis fabula: Μῆνυται Θύες, μὴ τούτοις εργάζεσθε. Quod Guterus ait nihil detenus Colonensem, properandum est, prope tavit ipse. *Gronovius*.

926. *Cor pepulit*] Deliberantem inducit Poëta Medeam post Apollonium, Ovidium, Valerium, dumque vinci affectus ratione laborant, appetui tandem succumbentem. *Farnabius*.

927. *Dicit*

Cor pepulit horror. membra torpescunt gelu,
Pectusque tremuit. ira discessit loco.

Materque tota conjugē expulsa redit.

Egon' ut meorum liberūm ac prolis meā

Fundam crūorem? melius, ah demens furor.

930

Incognitum istud facinus, ac dirum nefas

A me quoque absit. quod scelus miseri luent?

Scelus est Iason genitor, & majus scelus

Medea mater. occidant: non sunt mei.

Pereant? mēi sunt. crīmine & eulpa carent,

935

Sunt innocentes. fateor: & frater fuit.

Quid, anime, titubas? ora quid lacrimæ rigant?

Variamque nunc huc ira, nunc illuc amor

Diducit? anceps æstus incertam rapit.

Ut sæva rapidi bella cum venti gerunt;

940

Utrimeque fluctus maria discordes agunt;

Dubiumque pelagus servet: haud aliter meum

Cor fluctuatur. ira pietatem fugat,

Iamque pietas. cede pietati, dolor.

Huc cara proles, unicum afflīcta domus

945

Solamen, huc vos ferte, & infusos mihi

Conjugite artus. habeat incolumes pater;

Dum & mater habeat. urget exilium, ac fuga.

Jam jam meo rapientur avulsi ē sinu,

Flen-

917. Discessit] Locum dedit amo-
timaterno. Farnabius.

918. Materque] Maternusque affe-
ctus redit expulsa animo vindictæ cu-
pitatem ob repudiatum me ab Iasonē
conjugem. Idem.

919. A me quoque] Emphas. etiam
ā me effreni & vindictæ cupidissima.

Idem.

920. Scelus] Tyrannicū, quale
illud apud Phœdruim: Pater hercle
tus, inquit, maledixit mihi: cum
aliam causam non inveniret. Satis est
illis culpa, quod scelēfūm habent pa-
rem, quod iratam patti & immiseri-

cordem matrem. Hæc sunt τὸ τέ-
τρα τὴν κείμενα. illud, occidant, τὸ
ἔτεγγο τὸν κειρόνον εἰς ἀρδυκόν
οὐ μέσαν. Thyeste: Quid liberi me-
rūre? A. quod fuerant tui. Non asse-
quuntur interpres. Gronovius.

926. Et frater fuit.] Nec tamen illi
pepercit, ut Iasoni prodeffem. Farnab.

929. Æstus] Tanquam maris, ubi
sæva rapidi bella, &c. Idem.

948. Virget] Virget tamen in iras
cædesque instans exilium. Idem.

949. Rapientur avulsi sinu,] Sic
Delrius ē Mſ. pro evulſi. Plenius Flor.
rapientur avulsi ē sinu. Agamemnone:

Flentes, gementes. osculis pereant patris; 950
 Periere matris. rursus increscit dolor,
 Et fervet odium. repetit invitam manum
 Antiqua Erinnys. ira, qua ducis, sequor.
 Utinam superbæ turba Tantalidos meo
 Exisset utero, bisque septenos parens.
 Natos tulissem! sterilis in penas fui. 955
 Fratri patrique quod sat est, peperi duos.
 Quonam ista tendit turba Furiarum impotens?

Quem

Nec rapere puduit è sinu avulsam viri.
Gronovius.

950. *Osculis pereant patris;*] A libro Lipsii est, cum ederetur: sed oculi: ubi rō sed inquit Delfius, recentiores addiderunt: quidam *in oculis*. Gruterus quoque omnibus suis tantum *oculis*, sine rō sed, fuisse notat, uni *oculis*. Quo tamen hic *live oculi live oscula?* Raderus: tamdiu osculis fatigati filios Iason, donec lacrimis & osculis exanimentur, sicut & meis petiere, defecere animo, dum in sinu meo harent. Quid poterat dici apertius ad agnoscendas ineptias hujus sermonis? Florentinus: *gementes oculis pereant patri Periere matris.* Scribe: *Flentes, gementes. O scelus! pereant patri, Periere matris.* Scelus vocat rapi marii è sinu liberos. Post hoc, inquit, amittat illos & pater. nam ego illos amisit jam ex quo constitutum est, ut hic maneant. Itaque si peribunt, non mihi, sed illi peribunt. *Matri etiam in quinque Pall.* invenit Gruterus. *Gron. Pereant*] Refert tamen Euripidis Scholiastes corruptum à Corinthiis Euripi dem v. talentis transfulisse in Medeiam filiorum suorum cadem, quos ipsi Corinthii in matris odium interfecerant. *Farnabius.*

952. *Repetit invisam manum Antiquamentum.*] Hac si nugas metas dixeris, miraberis, lector: sed ubi ostendero tibi, quid Seneca scriperit, mirari desines. Delfius tamen non male quoddam habere ait *invisam dominum*, quod sit pe-

aus Medæ, antiquum suum hospitium: courta Gruterus non modo membranis, sed etiam ratiuncula pingnat pro vulgata. Florentinus: *Antiquarinnis ira.* Hinc accipe egregium & Tragicum sensum: *Repetit invitam manum Antiqua Erinnys. ira, qua ducis, sequor.* Quamvis nolens sequitur subratis crudeli minifatio manus reposciatur à veteri Furia, ut qualis ibi fratrem fuit, talis & sit in filios. Deinde consentit & sequitur deteriora, videns probansque meliora. Adde 4. Observ. 12. *Gronovius.*

954. *Vrinam*] Vrinam peperisse tot filios quot Niobe Tantali filia, Hercul. Fur. vers. 389. quæ mihi ampla foret vindictæ fæges & tamen duos habeo Mermerum & Pherecum, quos patri meo prodito fratri que cælo quasi inferias offeram, infra vers. 968. *Farn.*

956. *Natos*] Quot Medea filios habuerit, ex Parmenisci & aliorum sententiosis refert scholastes Eurip. in Medea, hos omnes, uno Thesiale excepto, à Medeâ necatos scribit Diodorus lib. 4. Sed Alianus lib. 1. 771-772. cap. ult. refert eos à Corinthiis intercessos fuisse. addit Pausan. in Corinth. Lapidibus obrutis proper allata Creusa munera. *Delfius.*

957. *Duos*] Conventaneum hoc est Euripidis traditioni. Iacutus eis Mermerum & Pherecum, Hyginus Macarium & Pherecum appellat; alii alter. *Idem.*

958. *Quonam*] Sibi per phanta-

- Quem quærerit? aut quo flammeos ictus parat?
 Aut cui cruentas agmen infernum faces
 Intentat? ingens anguis excusso sonat 960
 Tortus flagello. quem trabe infestâ petit
 Megæra? cuius umbra dispersis venit
 Incerta membris? frater est. pœnas petit.
 Dabimus. sed omnes fige luminibus faces: 965
 Lania, perure. pectus en furiis patet.
 Discedere à me, frater, ultrices deas,
 Manesque ad imos ire securas jube:
 Mihi me relinque, & utere hac, frater, manu,
 Quæ strinxit ensem: victimâ manes tuos 970
 Placemus istâ. Quid repens affert sonus?
 Parantur arma, meque in exitium petunt.
 Excelsa nostræ tecta conscendam domus
 Cade inchoata. perge tu mecum comes.
 Tuum quoque ipsa corpus hinc mecum aveham. 975

Nunc

Item videtur Furias videre, mox fratris
 umbras. *Farnabius*. *Turba*] Hercul.
 Fur. verf. 101. *Thyest*. 78. *Idem*.
 961. *Ingens anguis*] *Thyest*. v. 69.
Hercul. Fur. verf. 88. & 103. *Idem*.
 Visus furitis & auditio verberum sono,
 ad infaniam homines adigi credebant,
 patre hic & Herc. Fur. actu 4. *Flam-*
mista *Erinnys* verbere excusso se-
 nat, &c. *Deltrius*.

faver *Valerius Flaccus*: *Pherecydes* &
Medea ex cunis infantulum sublaum,
 & in mari postea necatum tradidit.
 quod tamen in patriis ædibus patratum
 mavult *Sophocles*, sed *Apollonius* pro-
 pe *Istrum*, *Plinius* in insulis quæ ab
 hoc facinore Absyrtides nuncupatae
 patet hic & *Herc*. Fur. actu 4. *Flam-*
mista *Erinnys* verbere excusso se-
 nat, &c. *Deltrius*.

962. *Megæra?*] *Megæra* ē Μέγαιρα, &
 μεγάρων. *Farnab.* *Dispersis*] Vt
 cura affectusque animi, ita corporis
 vulnerum indicia post mortem mane-
 re finguunt poëtae. *Idem*.

963. *Megeva?*] *Megeva* ē Μέγαιρα, &
 μεγάρων. *Farnab.* *Dispersis*] Vt
 cura affectusque animi, ita corporis
 vulnerum indicia post mortem mane-
 re finguunt poëtae. *Idem*.

964. *Incerta*] Quam prima facie
 vix agnosco. *Idem*. *Frater*] *Absyr-*
tus, quem convenient omnes ab impia
 fato laniatum: sed *Pacuvius* & *Dio-*
dorus *Agyleum* vocant, plerique vo-
 lunt fuisse germanum fratrem, *Sopho-*
cles uterum tantum. *Timonax* &
Apollonius ob formam præstantiam
Phæthonem nominarunt. *Quidam*
Medea nau majorem faciunt, quibus

Strinxit] In te. *Idem*. *Vi-*
citima] Atque hoc dicto unum ē filii
 interficit. *Idem*.

971. *Quid?*] Irruit *Iason* cum ar-

matis. *Idem*.

975. *Tuum quoque ipsa corpus me-*
cum aveham.] Sic prorsus & *Floren-*
tinus: non ipse, non avehe. Nihil hic
 miraculi: nulla opus machina, qua sul-
 tolleretur in alium *Medea*. Cur enim
 ait, *telia conscendam domus*? *Consen-*

Nunc hoc age, anime. non in occulto tibi est
Perdenda virtus, approba populo manum.

Ias. Quicunque regum cladibus fidus doles,
Concurre, ut ipsam sceleris auctorem horridi
Capiamus, huc, huc, fortis armigeri cohors, 980
Conferte tela. vertite ex imo domum.

Med. Jam jam recepi sceptra, germanum, patrem;
Spoliumque Colchi pecudis auratae tenent.
Rediere regna. raptæ virginitas rediit.
O placida tandem numina! ô festum diem! 985
O nuptiale! vade. perfectum est scelus;
Vindicta nondum, perage, dum faciunt manus.

Quid

dere non est machina elevari. Immo in scenâ interficit alterum filiorum: & audiens rumorem adventantis cum satellito Iasonis secedit ducens vivum altera manu, altera mortuum aportans. Similatque scena excessit, comparat Iason, ac mox ipsa in fastigio domus. Aveham est aportabo. Ut Troadibus: leo Prædam minorem morsibus vastâ premens Frangit vehitque. Gron.

976. Non in J. Non ut prius magics & veneficiis idque clam, sed spectanti Iasoni cum Corinthiis ede specimen virium warum, in interficiendis filiis. Farnabius.

977. Approba populo manum. Contra Horatii præceptum filios coram populo trucidat. quia tantus furor, quantum superius descripsit, supremo astu, quem oporter multum allûgere, nuda commemoratione, pro dignitate exprimi nequivisset, spetandum facinus, non narrandum auditoribus fuit. decorum ergo servatum. Aliter Riccius conatur excusare, lib. 1. dimitat. Mihi videatur melior causa, quam dixi. Delrius.

978. Regum est cladi bus fidus, dolens,] Quanto rotundius fl. Quicunque regum cladi bus fidus doles. Statim idem: fortis armiferi cohors. Gronov.

982. Iam jam J. Iam postquam injurias ultra sum, videor mihi abunde

omnia priora damna recuperasse. Farnabius.

983. Tenent.] Recepisse videri possunt in mea vindicta. Idem.

985. Perfectum] In uno imperfecto. Idem.

987. Vindicta] Restat enim alter interficiendus, ne quid Iasoni superfici quo se oblectet. Idem. Peragendum facinus manu.] Comicum magis quam Tragicum esse exigitissimo. Sic, Ciceroni quoque usurpatum, Iteradum eadem ista mibi. Plautus in Penuculo: memorandum esse aliter liceat. Truculentus: Circumspicendum, ne quis adsit arbitris. Restitutus omnium impresorum olim & scriptorum: perage, dum faciunt manus. Negue enim ad tantum facinus semper erunt promptae: fac dum dolet: dum nullus affectus ira potentier. Hercule Oetae: Scelus occupandum est: perge, dum ferret manus. Raderius notat verba obscurum facere sensum, si legas, dum faciunt manus, minus obscurum, perage dum facinus manus, quamvis dum parum ad rem faciat. Nimirum oblitus erat, ut comici eleganter illud dum soleant addere imperativis. Neque in altero ulla obscuritas. Non semper autem facere manus non aliunde descendunt quam ex Seneca lib. 2. de clementia cap. 9. exemplo Augusti: ubi inter alia: Nox illi inquieta

991. q. 992. q. 993. q. 994. q.

Quid nunc moraris, anime? quid dubitas? potes.

Jam cecidit ira, pœnitet, facti pudet.

Quid, misera, feci? misera, pœniteat licet, 990

Feci, voluptas magna me invitam subit:

Ereccre crescit, deerat hoc unum mihi,

Spectator ipse, nil adhuc factum reor.

Quidquid sine isto fecimus sceleris, periit.

Ias. En ipsa tecti parte præcipiti imminet, 995

Huc rapiat ignes aliquis, ut flaminis cadat

Suis perusta. Med. Congere extremum tuis

Natis, Iason, funus, ac tumulum stree.

Conjux socerque justa jam functis habent

A me sepulti, natus hic fatum tulit. 1000

Hic te vidente dabitur exitio pari.

Ias.

quieta erat, cum cogitaret adolescentem
nubilem, hoc detractio integrum, Cn. Pom-
pijne poterit esse damnamendum. Iam u-
num hominem occidere non poterat: cum
M. Antonio proscriptoris editictum inter-
veniam dictarat. Gronovius.

989. Iam cecidit ira.] Id est, qua
vindictam habes in manu & poteſtate
mea. Farnabius.

990. Misera,] Sero miseram me
agnosco, sero pœnitet, postquam fece-
rim. Idem.

991. Voluptas.] Vindictæ voluptas

mei etiam reluctantem urget. Idem.
Me invitam subit:] Flor. me & invi-
tam: Ut videatur τὸ Μὲ delendum,
tanquam ex interpretatione adjectum.
Esti ipsa averter hanc voluptatem, &
me propemodum oderim, quia sic gaudem.
Hæ tenues sunt scintillæ non-
dum omnis consopita & leviter ad-
mentis rationis, quæ tamen mox
magnitudine iræ ac furoris obturuntur.
Invisam autem esti habeant centum
enneades, sufficit in florent, esti invi-
tam. Gronovius.

992. Deerat] Ut Iason filii prius
est spæctare necem, Farnabius.

993. Nihil adhuc factum reor.] Opti-
mus: Spectator iste, nihil adhuc facti

reor. Ut apud Ovidium lib. 1. Faſto-
rum: Non habet officii lucifer omnis
idem. Et in epiftola Hypermenestræ:
Et queritur facti ſanguine eſſe parum.
Sic bene ē Mſt. Heinsius. Vbi vulgo
officium & factum legitur. Gronovius.

994. Sine iſto] Spectatore. Farn.

997. Suis perusta.] Quibus ipsa in
aliis ufa eſt. Idem. Congere] Imo pie
& pro tuo officioſeceris, si rogam tuis
natis à me caſis conſtruxeris, namque
ego conjuſi tuæ ac ſocero pyram ac-
cendi. Sarcaſmus. Farnabius.

999. Iusta jam funeris habent] A Scaligero hoc profectum binas jam editiones
honestavit. At omnes scripti & edi-
ti: iusta jam functis. Nugæ, inquit vir
illustris. Quid ita? Funeris utique pro
defunctis vel mortuis non culparit,
Statius lib. 2. Theb. functis quamquam
& jam lumine caſis. lib. 4. agras fun-
ctorum corpore fibra. Quid ergo? an
compositionem illam, iusta functis?
Si hoc, male profecto: nam iusta fun-
ctis sunt iusta funeris, ea quæ iustum
& ſolene eſt fieri & praefari functis.
Sic Troadibus: Datusque tumulo de-
bita exanimis tulit. Eadem debita ex-
animis, quæ iusta functis. Cepit & Ra-
derus. Gronovius.

Kk 4 1002. Com-

Ias. Per numen omne, perque communes fugas, 1001
 Torosque, quos non nostra violavit fides,
 Jam parce nato. si quod est crimen; meum est:
 Me dede morti, noxiū macta caput. 1005
Med. Hac, qua recusas, qua doles, ferrum exigam.
 I nunc, superbe, virginum thalamos pete.
 Relinque matres. *Ias.* Unus est pœnæ satis.
Med. Si posset unā cæde satiari manus,
 Nullam petisset. ut duos perimam tamen, 1010
 Nimium est dolori numerus angustus meo.
 In matre si quod pignus etiamnum latet.
 Scrutabor ense viscera, & ferro extraham.
Ias. Jam perage coeptum facinus, haud ultra precor;
 Moramque saltem supplicis dona meis. 1015

Med.

1002. *Communes fugas.*] E Colchi de fugientes Ætam ex Thessalia patrem tuum. *Farnabius.*

1003. *Quos non nostra.*] Quæ hæc est impudentia pariter & imprudentia negare Iasonem se fidem fecellisse? & tunc negare, quum rogar rem tantam? Confessis soleat dari venia, non manifesta negantibus. Et ipse confessus erat, si moti nolleat, fidei sibi carentum esse. In quibusdam Mſ. abest ῥò non claudicante versu. Credibile igitur fuisse: *quos heu! nostra violavit fides.* Nam excusatio de liberis non potest intelligi, si non exprimatur. *Gronovius.*

1005. *Me dede morti.*] Notum est illud: *Dede neci, vacua melior sine reget in aula.* Quo ipse suavissime uitetur in ludo de morte Claudi. Flor. tamen nec male: *Me dede morti.* Idem:

1006. *Hac.*] Sumam de te pœnas hac quæ te magis utit parte, id est, in filio. *Farnabius.*

1007. *Virginum.*] Creüſte nuptias pete, me coiugem factamque ex te matrem desere. Pluralia autem ſæpe per indignationem pro singularibus posita. verf. 1285. *Hercul. Fur.* *Idem.*

1009. *Si posset.*] Si tantum mihi surgesſet pœciatis, ut unius cæde me

satiarem, alteri parcerem; etiam neutrū interficere ſuntiuilem: sed omnem exui pœciatem, itaque vix dolori meo ſufficiunt ſili duo, imo ſi me gravidam ſentitem etiam diſlecto uero ſuetum extraherem. *Idem.* *Cade satiari manus,*] Flor. *satiari à manu.* Videut velle *satiari* *bac manus.* Ovidius: *Si manus hac aliquam posſet committere cædem.* *Gronovius.*

1015. *Moramque saltem suppliciū.*] Crux eruditorum. Lipius tranſpoliū attribuit *Medæx*, & legit, *supplicibus.* Gruterus aliquid vidit, ſed peruidere totum non potuit, partim immemor quid eſſet *donare* apud hujus ævi ſcriptores, partim obcurbatus ab illis, qui eum nominare fastidiebam. Rechte ait *suppliciis donata mora*, hoc ſenſu, *supplicia maturari*: quia, debuifſet addere, *donare* eſt remittere, *donare mora* mora gratiam facere. Sed quum dicit acumen eſſe *ſcholasticum*, & inde ſicutum, quod cum ius donationis in aliū transferimus, id non amplius hæreat in donapte, evagatu & ſcopum non tangit, ſed circumit. Etiam apud Valer. Maximum lib. 9. 2, *donare silentium* eſt gratificari alicui eo quod fileas. Sed quæ ſeneca & Luca-

no,

Med. Perfruere lento scelere; ne propera, dolor.

Meus dies est: tempore accepto utimur.

Lys. Infesta memet perime. *Med.* Misereris jubes,

Bene est, peractum est, plura non habui, dolor,

Quæ tibi litarem, lumina huc tumida alleva, 1020

Ingrate Iason. conjugem agnoscis tuam?

Sic fugere soleo. patuit in cœlum via.

Squammosa gemini colla serpentes jugo

Sum-

no, faciunt ad propositum. Itaque cum hoc filum apprehendis, mirum non exiisse felicitem hoc Labyrinthum. Finit dubius, non pertendere se in defensione hujus significacionis. Delrius vel cum Bernardino, vult peri ab Iason moram ad fugiendum, ne tantum scelus spectare cogatur: vel de suo, dicere Iasonem mortuis liberis peragat corpora, se quoque ipsam interficiat, hoc spectaculum sibi remissionem quandan & moram doloris fore. Scaliger, supplicii dona mea, & optari lentum supplicium. Hec omnia pia Mvng-
O. Oedipus vero ille, quem optabat Scaliger, fuit Hugo Grotius. Is è Lucano suo meminerat, quid hoc usu esset donare moram, nempe remittere, neque mora supplicii & lento cruciatu torquere. Hoc postremum votum est desperantum de salute vel sui vel corum, pro quibus precantur, ut breviter absolvantur. Sicille: *Rogo, domina, si quid tristius paras, celerius confice, neque enim tam magnum facinus admisimus, ut debeamus torti perire.* In contrarium ille, *Sic feri, ut mori se sentias.* Verbi vim alibi plena manu illustravimus & familiarem fecimus. Dixerat hic ō m̄d̄w̄ fefellisse eruditos, in primis Scaligerum & Lipsium, quid esset donare moram. Ecce homo minime malus, cui Scaliger quidem & cateri nulla vindicta digni; in Lipsio autem & Delcio tantum libertatis negat forte. Fortasse, inquit, non fefellit. quid enim nescierint Lipsius & Delrius, quid esset donare moram? At ō bone,

& nescierunt illi, & tu quoque nescif-
fes, nisi accepisses ab eo, cuius sermonem reprehendis: nec hoc vel in te vel
in illos crimen est. necesse est enim hominem multa nescire, & summos
quotidianis ab infinitis discere, & qui plu-
rimum sciunt, longe plura nescientes
mori. Si non fefellit, cur scribit Lipsius tuus pugnare hunc versus priori,
& illo cupere Iasonem statim interimi
liberos, hoc quætere supplicii moram,
& Medeam respondere quasi ex voto
Iasonis atque exoratam? Cur Delrius
tam multa injuste carpens in amico
suo, hoc non modo non carpit, sed
etiam laudat? cur quod optimum erat
in Grutero, carpit? cur qui petat dona-
ri moram supplicio, eum censer petere
id differri? Nos utrumque de Seneca
bene meritum libenter agnoscimus:
sed cur aliquid eos fefellisse dicere non
liceat, causam nullam videmus. *Gro-
novius.*

1017. *Mesus*] A Creonte mihi da-
tus. Suprà versi. 295. *Farnabius.*

1018. *Misereris jubes.*] Misericordia
mors grata. vide Herc. Fur. vers. 512.
Idem.

1019. *Bene*] *Caso jam altero filio.*
Idem.

1020. *Lumina*] Attolle oculos tuos
meque vide. annon agnoscis me ex so-
licita cæde? prius quidem tibi, jam mihi
vindictam poscentem. *Idem.*

1022. *Sic fugere*] Per cædes pa-
trem fugi occiso fratre, Acastum ma-
riti mei patrualem occiso patre suo, te
jam conjugem occisis filiis. *Idem.*

Kk 5 1025. *Ego*]

522 L. ANNÆI SENECAE MEDEA. ACT. V.

Summissa præbent. recipe jam natos parens.

Ego inter auras aliti curru vehar.

1025

Ias. Per alta vade spatha sublimi ætheris:

Testare nullos esse, qua veheris, deos.

1025. Ego] Ethis dictis vecta curru junctis draconibus avolat Athenas, ubi Theseo nupta. Suprà vers. 973. *Farnabius.*

1027. Testare] Testimonium dictas contra deorum iustitiam, vel argumento sis nullos esse in celo deos, si

tibi insigniter scelestæ per æthera patet impune via. Idem. Formavit ex dicto Diogenis Cynici, Scirtalum, qui temporibus illis prado felix habebatur, contra deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu vivere, Cicero], de nat. deorum. Gronovius.



L. AN-